

Rep. B. XVI. 20.

Contenta huius libelli.

1. Evadon sorton - gra
2. Evadon quuchel
3. Evadon Natu und
4. Speculum Consil. Hisp
5. *De Ratione & Via*  
*Septentrionales ad*  
*Romanae Educatione*  
*ator. Jona Henricio Meldorpiano*
6. Epistola Johannis Aventotia ad  
tentissimū Regē Hispania.
7. *Evadon und Valgordus Esaias*  
*hujusmodi*
8. *Evadon für die Schiffen Traktat*  
*G. Durii*
9. De parvise dirymoyri
10. De posse occupatis Raabii.
11. Palponista Bernardi sive  
de vita privatata aulica Reip
12. De principiis Nobiscum nati  
Merlingii.

DISPUTATIO II.

*De*

PRINCIPIIS NO-  
BISCUM NATIS.

*Quam*

PRÆSIDE

JOHANNES Sperlingen/  
Phyf. Prof. Publ.

*Defendet publicè*

M. BENJAMIN GERLACHIUS,  
POLONUS.

Ad diem 29. Jan.

In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,  
TYPIS JOHANNIS HAKEN,  
M DC LIII.



DISSECTIO  
P. RINICERIS NO.  
BISCOPUS  
JOHANNES  
M. B.



## CAPUT SECUNDUM.

De

# Ratione primâ & secundâ, contra princi- pia nobiscum nata.

**V**ero falsum ut astruat, sin- Disp. 1.  
git Conclusionem, *Notitiæ* §.29.  
*naturales (sive pro actu, sive*  
*pro habitu vocem notitiæ su-*  
*mas) quæ à nativitate nobis insint, no-*  
*bisq; connata sint, nullæ dantur. De*  
*actu manifesta res est: de habitu*  
*probationes expectamus. Flectit*  
*autem oculos ad nostram sententi-*  
*am, quam probatam damus Ratio-*  
*ne, Experienciâ, & Scripturâ. Dicit,*  
*imitari se posse nos, & conclusionem*  
*suam probare equè, 1. ratione, 2. expe-*  
*rienciâ, 3. Scripturæ S. testimoniis: ve-*  
*rùm ultimâ probatione in presentiarû*  
*se supersedere, & primam ac secundâ*  
*attendere. Psittacus imitatur ser-*  
*monem, sed non loquitur. Simia*

A 2

est

est simia', quamvis imitetur hominem. Imitatur nos: sed non facit idem. Veri dat speciem: ipsum verum non habet. Non argumenta, sed sophismata profert, sive primū, sive secundum probationum genus spectemus. Ad ultimam probationem cum itur; aqua hæret ipsi. Superfedere vult ultimā probatione impræsentiarum. Bonum institutum! Potest Scripturæ S. testimoniis probare conclusionem, sed impræsentiarum super se det. Dabit dies crastinus, quod negat hodiernus. Interim dubia sit fides, donec præstiterit. Novimus, omnes hominis conatus majores rebus esse. Faciat periculum, gratulabimur. Sic nostrum argumentum: Quicquid νεῦ; κατὰ τὸ ῥητὸν, νεῦ; κατὰ τὴν διάνοιαν in sacrâ habetur Scripturâ, ex eâ probari nequit. Dogma quod negat principia nobiscum nata, νεῦ; κατὰ τὸ ῥητὸν, νεῦ; κατὰ τὴν διάνοιαν in sacrâ habetur Scripturâ. Ergo ex eâ probari nequit. Major manifesta. Minorem qui non admittit, monstrer loca. *Dissensum*, inquit,

non metuimus, ut potius de amicabili  
 bujus cum ratione & fundamentis Phy-  
 sicis quantum ad rem presentem con-  
 sensu tam certi simus, quam qui certis-  
 simi. Novum inventum! Novus  
 modus, confirmandi sententias ex  
 confidentiâ. Rationem jactat, &  
 fundamenta Physica: hinc de ami-  
 cabili consensu tam certus est, quam  
 qui certissimus. Omnia dogmata  
 tandem Scripturæ Sacræ habebunt  
 consensum amicabilem. Vera enim  
 si sunt, non metuendum de dissen-  
 su, sed de amicabili cum ratione cō-  
 sensu tam certi erimus, quam qui  
 certissimi. Sin falsa; supplebit con-  
 fidentia & firmissimarum rationum  
 atq; immotorum fundamentorum  
 jactantia. Dissensus verò dudum  
 monstratus homini, à Theologis  
 juxtâ ac Philosophis. Tantum è B.  
 Meisnero & Philippo Melanchthone  
 dabo pauca. Allegat D. Meisnerus  
 verba Apostoli. *Primò*: gentes veri-  
 tatē detinent in injustitiâ. *Secundò*:  
 quod de Deo cognosci potest, mani-  
 festum est in illis. *Tertiò*: ostendunt  
 opus legis scriptum in cordibus suis.

A 3

Hinc

Rom. 1.

v. 18.

v. 19.

C. 2. v. 14.

Hinc colligit. Quicquid continetur quasi captivum in carcere iniustitiæ, id actu inest, non potentiâ. Veritas Dei in gentilibus continetur quasi captiva in carcere iniustitiæ. Ergo veritas Dei in gentilibus actu est, non potentiâ. Quicquid in gentilibus manifestum est, id istis implantatum atq; innatum est. Veritas Dei in gentilibus manifesta est. Ergo veritas Dei istis implantata atq; innata est. Quicquid cordi ipso actu inscriptum est, id non merè potentialis, sed habitualis & perpetuò manens notitia est. Veritas Dei cordi ipso actu inscripta est. Ergo veritas Dei non merè potentialis, sed habitualis & perpetuò manens notitia est. Philippus Melancthon ait: *Sententiam de notitiis nobiscum natis, propter Paulum amplector, qui expressè inquit, legem scriptam esse in cordibus hominum, ubi de notitia loquitur. Et alibi: Lumen divinum in mentibus non extinguendum est, sed potius excitandum, & confirmandus animus, ut agnoscat principia practica, eaq; amplectatur, & statuat reverà*  
*cum*

De An.  
p. 135.

Loc. Theol.  
ol. p. 156.



nam certa & firma esse, quàm sunt speculabilia, imò pariter esse decreta immutabilia Dei. Sicut & Apostolus concionatur Rom. 1. inquit, Deus ipsis ostendit. Item Rom. 2. Opus legis scriptum in mentibus eorum. Vocat item has notitias jus divinum Rom. 1. Qui cum jus Dei norint. Est ergo vera definitio Legis Naturæ, Legem naturæ esse notitiam legis divinæ, naturæ hominis insitam. Ideò enim dicitur homo ad imaginem Dei conditus esse, quia in eo lucebat imago, hoc est, notitia Dei, & similitudo quadam mentis divinæ, id est, discrimen honestorū & turpium, & cum his notitiis congruebant vires hominis &c. Quanquam autem in hac natura corruptione deformatâ imagine Dei, non ita fulgeant notitiæ, manent tamen, sed cor repugnat, & incurrit dubitationes propter quedam, quæ pugnare videntur cum illis notitiis. Erat Obtrektoris nostri accipere hæc, & venerari sapientiæ doctores: sed cavillatur verba, & contradicendi studio fingit exceptiones. Nihil tam rectum, nihil tam sanum, quod laceßere non audeat

S. 30.

insana maledicendi lubido. Videbimus quid afferat, eò cum pervenerimus. Nunc ad rationes descendamus, dimissâ Scripturâ Sacrà. *Primò*, inquit, *Aristotelicos adeamus fontes, & scaturientes inde probationum rivulos hauriamus. Ubi quidem non est, ut à nuda Aristotelis autoritate argumentũ ducamus, multò sesus nos gerentes, ac nobis nostrisq; Scholis malevolus quidã affingit. Affingit nobis hunc procedendi modum, hanc probationem (in Anthrop. l. 1. c. 3. q. 8. p. 196.) Quam sententiam docuit Aristoteles, ea est tenenda. Sententiam, quod intellectus sit nuda tabula, docuit Aristoteles. Ergò tenenda est. Minorem probat è lib. 3. de an. c. 4. t. 14. Ad Syllogismum hunc respondeo lib. m. Dicimus nos, Majorem nos nihil movere. Multis errandi occasionem præbuit Aristoteles. Homo fuit, Ethnicus fuit. Non ad hunc ceu normam recurrendum. Major autoritas Natura, major reverentia Scriptura sit, quàm Aristotelis. Aristotelicos fontes audit, sed non rectà. Transversum facit iter, abreptus quãdam objectione ac responsione. Contra senten-*

ten-

tentiam de principiis nobiscum  
 natis dedi objectiones, ac dilui.  
 Quinta illarum est, quam tetigit.  
 Responsum feci, quam attulit.  
 Hæc calidum movere pectus, quò  
 minùs inoffensò pede suos adiret  
 fontes. Miscenda fuerunt his,  
 quanquam in recitatione objecti-  
 onum invenissent sedem. Fervor  
 mentis præcipitantia: præcipitan-  
 tia malorum omnium causa est.  
 Reponit verò sequentia: *Sed quis*  
*nostratum unquam fuit ita argumen-*  
*tatus? Rationibus Aristotelis utimur,*  
*non nomine, non nudâ Philosophi*  
*autoritate dogmata assertionesve no-*  
*stras palliamus.* Vir Bone, tuo re-  
 spondebo ore. Tàm certus sum,  
 quàm qui certissimus, vestrates  
 ita procedere. Dant primò ratio-  
 nes: secundò autoritates. Aut,  
 primò autoritates: secundò, rati-  
 ones. Solenne vobis est, argumen-  
 ta ab Aristotelis autoritate pete-  
 re. Non tantùm rationibus Ari-  
 stotelis, sed & autoritate Aristote-  
 lis pugnatur. Id si nondum obser-  
 vasti, tuam defleas negligentiam.

A 5

Dicam

S. 32.

Part.  
Met. l. i. p.  
313.

Dicam verò quis vestratium in ipsâ hac materiâ ita argumentatus sit. Sed dicam, salvâ viri auctoritate. Dicam, ut impudentiam tuam, quæ ad omnem turpitudinem maxima dux est, reprimam. D. Jacobus Martini, non dari principia nobiscum nata, probat, primò rationibus, secundò auctoritatibus. Rationes sunt quatuor, & petuntur ab usu phantasmatum, ab operatione intellectus, ab experientiâ & à comparatione sensûs & intellectûs. Auctoritates itidem quatuor sunt: Aristotelis, Thomæ, Themistii, & Avenpace. Hic rationes auctoritatibus contradistinguuntur, adeoquæ à nudâ, ut loqueris, Aristotelis auctoritate argumentum ducitur. Et tute ipse perpetuò illud clangis: Aristoteles, Aristoteles: Diana, Diana. Rationes nunc nullas, nunc dudum discussas habes. Addit verò: *Dicimus & nos; Majorem nos nihil movere. Dicimus quoq; Majorem illam non esse nostrâ, sed nostris Scholis falsò tributâ. Homo fuit Aristoteles; errare potuit, potuit errandi*

*randi occasionem præbere.* Constat  
 vestram esse Majorem. Utinam cœ-  
 tera ex animò ac verè diceres! Ha-  
 bemus facta verbis contraria.  
 Gravem autem vir gravis dat ad-  
 monitionem. *Agnoscat quoq̃, ait,*  
*author ille, se hominem esse, se non so-*  
*lùm plurimis occasionem errandi præ-*  
*buisse, verùm quoq̃, multos graves er-*  
*rores profeminasse.* Ostendat erro-  
 res graves, & habebit animum me-  
 um: Erravi, esto indictum, quod  
 veritate invitâ dictum: *Error est,*  
 inquit, *imò falsitas est, aliquam noti-*  
*tiam naturâ nobis eonnasci.* Et pudet,  
 & piget me tantæ stultitiæ. De  
 quo controvertitur, id ceu rem o-  
 mnium confessione approbatam  
 sumit. Hi scilicet sunt illi multi  
 graves errores, quos profeminavi.  
 Donec dederis alios, te mirâ fatui-  
 tate propriam allegare turpitudi-  
 nem dicam. Reddere verò cona-  
 tur mihi argumentum meum hoc  
 pacto. *Quam sententiam docet Au-*  
*tor Anthropologia Physica, ea tenenda.*  
*Sententiam, quod intellectus sit nuda*  
*tabula, docet Autor Anthropologia*  
*Phy-*

§. 33.

*Phyfica. Ergò tenenda est. Tran-*  
*seat Major, mihi inaudita ha-*  
*ctenus. Minor examinanda ve-*  
*nit. Minor ait, omninò sa-*  
*crofancta habenda isti Autori, qui*  
*quamvis eam totidem verbis non pro-*  
*ponat, rem ipsam tamen, & verba ex*  
*quibus assertum Aristotelicum per bo-*  
*nam consequentiam deducatur, ha-*  
*bet. Discat, de Autorum senten-*  
*tiis judicandum esse, è propriis i-*  
*psorum verbis è propriâ fede de-*  
*sumtis, non è consequentiis quas*  
*nectere solent Adversarii. Non*  
*statim hoc docent Autores, quod*  
*è verbis deducere conantur Anta-*  
*gonistæ. Intellectum non esse nu-*  
*dâ tabulam, in ipsâ hâc quæsti-*  
*one octavâ, quæ est de principiis*  
*nobiscum natis, dixi. Tàm sa-*  
*crofancta scilicet habenda est ista*  
*Minor. Sed animus fatagens pro-*  
*bare conatur Minorem. Primò*  
*ait, me ponere sequentia, Aristo-*  
*telicæ doctinæ conformia. Sine*  
*speciebus intelligibilibus nulla fit intelle-*  
*ctio*

*Sio. Non invenit species intelligibiles  
innaturâ, aut animadvertit mens no-  
stra, sed fabricat. Intellectus agens ex  
potestate intelligibilibus facit actu in-  
telligibilia. Intellectus patiens intelli-  
gibiles species in se recipit, percipit, &  
dijudicat. Hæc inquit monstrare,  
intellectum patientem esse nudæ  
tabulæ similem ante actualem in-  
tellectionem. Res difficultate  
caret. Evertere vult habitum  
Connatum, per ea quæ loquun-  
tur de habitu Acquisito. Modus  
cognitionis nostræ cum describi-  
tur, ad acquirendam notitiam re-  
spicitur, non ad innatam. Ser-  
vanda hîc sunt, quæ rectè dixit A-  
ristoteles de modo acquirendi. O-  
mninò ad sapientiam acquirendã  
opus est illò processu. Non au-  
tem nimis extendenda hæc sunt,  
ne nimium vertatur in vitium. Ar-  
gumentatur: Quicumq; docet, quòd  
intellectus nullas species in naturâ in-  
veniat vel animadvertat, sed ad co-  
gnitionem opus habeat, ut istæ ab in-  
tellectu agente fabricentur & patienti  
imprimantur, ille docet sententiam,  
quod*

S.34.

*quòd intellectus sit nuda tabula, five  
 nuda tabula similis. Author Antropo-  
 logiæ Physicæ docet, quòd intellectus  
 nullas species in naturâ inveniat vel  
 animadvertat &c. Ergò docet, quod  
 intellectus sit nuda tabula. Major fal-  
 sa est. Qui docet intellectum spe-  
 ciem Solis, terræ, canis, equi, ali-  
 arumq; rerum, in naturâ non in-  
 venire, is vult intellectum esse  
 nudam tabulam. Falsa hæc pro-  
 positio est. Certè species intelli-  
 gibiles in naturâ non sunt, sicut  
 sensibiles. Dantur species visibi-  
 les, dantur audibiles, dantur aliæ  
 sensibiles, in naturâ nobis nõ co-  
 gitâtib9. Invenit eas & animadver-  
 tit sensus, atq; ad intellectû trans-  
 fert. Hic verò species suas intel-  
 ligibiles non invenit, sed fabri-  
 cat. Hinc verba mea: Non in-  
 venit eas in naturâ aut animadvertit  
 mens nostra, sed fabricat. Speciem à  
 sensu communi & phantasiâ allatam  
 illustrat intellectus agens, & in intelli-  
 gibilem transmutat. Ut ita ex poten-  
 tiâ intelligibilibus fiant actu intelligibi-  
 lia: ut à patiente recipiantur species i-  
 ste, &c.*



*ste, &c. Et: Phantasia intellectui phan-*  
*tasmatu exhibet, adeoq; causa exem-*  
*plaris est. Id praestat, quod typi Al-*  
*phabetariis à ludimagistris praescripti.*  
*Hinc phantasiâ lesâ, leditur intellectio.*  
 Quid inde adversus notitias con-  
 natas? Probare vult Majorem,  
 quia si species à naturâ non infunt  
 intellectui, ergò nudatus illis est,  
 ergò nuda tabula est. Primò, ali-  
 ud est, in naturâ intellectum non  
 invenire species; aliud à naturâ in-  
 tellectui non inesse species. Secun-  
 dò, aliud est, intellectum nudatū  
 esse in tantum, aliud in totum.  
 Sanè non habet species, quibus So-  
 lem, aut Lunam intelligere pot-  
 est. Ergo nihil habet? A par-  
 ticulari ad universale non valet  
 consequentia. Pergit. *Cuicunq; ad-*  
*mittenda Major & Minor, tanquam*  
*vera propositiones, ei admittenda quo-*  
*que Conclusio, tanquam vera. Au-*  
*thori Anthropologiae Physicae admitten-*  
*da Major & Minor Syllogismi proposi-*  
*ti, tanquam vera. Ergò ipsi conceden-*  
*da quoq; conclusio, tanquam vera. Cor-*  
 nicatur, non ratiocinatur. Dies  
 vacuos

§. 35.

p. 202.

vacuos habet, hinc supervacua  
 tam multa offert. Responsum  
 est ad Majorem negando: frustra  
 ergo dat ea de Conclusionem. De-  
 scendat verò in seipsum, & infini-  
 tos habebit Syllogismos, ubi præ-  
 missas admittit, conclusionem  
 negat. Paucos repetam è capite  
 duodecimo Dissertationis de Tra-  
 duce. Quicquid est proximus ge-  
 nerationis terminus, illud non  
 est creationis terminus. Cum ho-  
 mo generat hominem, anima hu-  
 mana est proximus generationis  
 terminus. Ergo cum homo ge-  
 nerat hominem, anima humana  
 non est creationis terminus. Quic-  
 quid est proximus generationis  
 terminus, ad id fertur & termi-  
 natur generantis actio. Anima hu-  
 mana est proximus generationis  
 terminus. Ergo ad animam hu-  
 manam fertur & terminatur gene-  
 rantis actio. Quicunq; formarum  
 naturalium ortum generantibus  
 adscribit, is Creationem formarum  
 deserit. Adversarius formarum  
 naturalium ortum generantibus  
 adscri-

adscribit. Ergò Adversarius Cre- p. 205.  
 ationem formarum deserit. Ad  
 quod terminatur actio generati-  
 va, hoc generatione producitur.  
 Ad animam humanam terminatur  
 actio generativa. Ergò anima hu-  
 mana generatione producitur.  
 Ad quod terminatur actio gene-  
 rativa, ad id nō terminatur simul  
 & eodē respectu actio creativa. Ad  
 animam humanam terminatur a-  
 ctio generativa. Ergò ad animam  
 humanam non terminatur simul  
 & eodem respectu actio creativa.  
 Quicquid generatione produci-  
 tur, id non creatur. Forma ho-  
 minis generandi generatione pro-  
 ducitur. Ergò forma hominis ge-  
 nerandi non creatur. Quicquid  
 generatione producitur, id non  
 demùm post generationem educi-  
 tur. Formæ brutorum, planta-  
 rum, & mixtorum generandorū,  
 generatione producuntur. Ergò  
 non demùm post generationem e-  
 ducuntur. His, & infinitis aliis,  
 subjiciat verba sua : *Cuiusq; ad-*  
*mittenda Major & Minor, tanquam*

D

vera

*vere propositiones, ei admittenda quoque Conclusio, tanquam vera.* Et de Minore forsan si dubitat, propria verba agnoscat: *Generatio est mutatio circa formam, & generatione fit nova forma introducenda.* Generationis terminus geminus est: 1. ultimus & totalis, ipsum puta compositum. 2. formalis & partialis, qui est forma rei genitæ. Esse terminum generationis non aliter potest intelligi, quam formam esse id, ad quod fit progressio in generatione, & ad quod terminatur actio generativa. Forma rei generanda est terminus generationis, hoc est, id ad quod intrinsecè terminatur generatio, id nimirum quod generatione producitnr, & producendo introducitur. Sic incautè suis sese jugulat verbis. Ad id verò unde digressi sumus, regredimur. Adit fontes Aristotelicos, & primò Libr. 3. de an. c. 4. & 5. *Si igitur intelligere sicut sentire, aut pati quoddam erit ab ipso intelligibili, aut aliquid aliud tale.* Vacare igitur ipsū passioni, sed formæ susceptivum esse oportet; & potentiā talem, sed non illam esse, & similitudinem subire cum sensu,

§.36.

sensu, ut quemadmodum se habet ad sensibilia sensus, ita se habeat ad intelligibilia intellectus. Quare necesse est ipsum, cum universa intelligat, non mistum esse, sicut Anaxagoras dixit, ut superet atq; vincat, i.e. ut cognoscat atq; percipiat, alienum enim cum apparet juxta, probibet atq; sejungit. Quo fit, ut nulla sit ipsius natura, nisi ea solum qua possibilis est. Is igitur, qui intellectus anima nuncupatur, (dico autem nunc eum, quo ratiocinatur anima & existimat) nihil esse actu prorsus eorum, qua sunt, antequam intelligat ipse. Ex his Aristotelis verbis probationum suarum petit fundamenta. Argumentatur primò: Ut se habet sensus ad sentiendum, ita intellectus ad intelligendum. Sed sensus non habet species à nativitate sibi impressas & congenitas. Ergò nec intellectus habet connatos habitus. Argumentatur secundò: Si intellectus in se actu aliquid haberet, non posset speciem in se recipere. Potest autem recipere. Ergò nihil habet actu. Ad primum ait, me

§. 41.

P. 192.

respondere hoc modo. *A sensu ad intellectum non valet. Si visui à nativitate nihil inest; ergò nec intellectui. Qualis consequentia? Etiam visui primorum parentum nihil inerat primitus; ergò nihil intellectui? Ergò nõ habuere scientiã concreatã? Vident disparitatem.*

P. 194.

Reponit, me mei immemorem carpere consequentiam, & rejicere argumentũ, quo ipse fuerim usus hoc modo. *Ut se habet sensus ad modum sentiendi, ita & intellectus ad modum intelligendi. Sed sensus per species sensibiles sentit. Ergò intellectus per species intelligibiles intelligit. Vahquã immemor sũ! Admitto Majorem, ratione modi acquirendi. Ergone simpliciter? Quia in tantum: ergò in totum. Hęc illa egregia collectio: ut omnes ac singulæ. Id dico. Præsens sit, quod cognoscendũ est. Præsens sensui: præsens intellectui. Sensui per speciẽ sensibile: intellectui per speciẽ intelligibilem. Ut futor juxta ideam calcei calceum fabricat: ut architecto ex effigie domus domum efficit: ita intellectus agens ex idolo phantasti-*

tastico speciem intelligibilem producit. Non tanquam ex materia, sed ut ex idea & exemplari. Sic species objectorum sunt vicariae: primum sensiles, post intelligibiles. Quae omnia loquuntur de modo acquirendi. Non ergo Major Syllogismi nostri extendenda nimis: sed intelligenda de modo acquirendi cognitionem. Claudicat simile, cum ultra debitum similitudinis objectum extenditur. Ait, *me non definire hic speciem connatam, nec concludere intellectionem fieri per species connatas, sed per illas quas intellectus ipse ex phantasmatibus fabricat, fabricatasque intellectui patienti imprimi.* Sanè. Res mihi de notitia acquirenda erat. Non ergo definienda species connata, scientia connata, habitus connatus. Acquiritur autem non alio, quam hoc uno modo, quo intellectus dependet à sensibus, quo intelligentem oportet speculari phantasmata. Forfan statuendum, bona acquisita perdere haereditaria. Pergit verò. *Quidni à sensu ad intellectum,* §. 44.

D 3

quan-

quantum ad praesens, valeat consequentia? Nonne uterque est potentia cognoscitiva? Estne ibi modus cognoscendi mediatum, an immediatum? an naturalis, an supernaturalis & spiritualis? Nonne conclusit superius intellectum, per species intelligere, ex eo quod sensus etiam per species cognoscant? Exercet se quaestiunculis, an per insidias circumvenire possit incautos. A sensu ad intellectum, quantum ad praesens, hoc est, notitiam connatam, valere consequentiam, petitio principii est. Potentias cognoscitivas esse sensum & intellectum, & utrumque ratione acquisitionis uti mediis, manifestum est. Nihil verò hinc contra notitias connatas. Et quâ ratione naturalis dicenda sit connata notitia, antecedens declarat dissertatio. Intellectum per species intelligere, nemo non intelligit. Dicit, *confundi naturale cum spirituali atque gratuito, connatum cum connaturali propriè dicto*, citatque §. 16. 17. Falsa loquitur, ex more. Discussa sunt in primo capite. Addit: *Sapientiam*

§. 45.



tiam intellectus, iustitiam voluntatis,  
 & obedientiam appetitus, habebant  
 quidem primiparentes concreatam,  
 (non connatam) sed non erant ista na-  
 turalia bona, proprietatem physicam  
 sectando; (vid. sup. §. 17. & 22.) non e-  
 nim fluxerunt ex naturâ primorum  
 parentum; sed erant peculiaria, ex  
 gratiâ Creationis ipsis collata, & post  
 lapsum rursus ablata. Ab illis ergo  
 que naturâ insunt, & naturales causas  
 habent, ad ea, que naturâ non insunt,  
 sed ex gratiâ Supremi Numinis, argu-  
 mentari non licet. Etiam de his dictum  
 in capite antecedente. Repeto  
 uerba D. Balth. Meisneri: *Natura-*  
*le notat 1. συσπαικὸν φύσεως vel*  
*ἐπόμενον τῇ φύσει, quod vel na-*  
*turam constituit, vel immediatè sequi-*  
*tur. 2. συνέμφοτον, quod in natura qui-*  
*dē anascitur, nō tamē ex naturâ ori-*  
*tur.* Posteriori modò sapientia, ju-  
 stitia, & obedientia, erāt naturales  
 habitus in primis parentibus: si nō  
 connati, quod per se manifestum;  
 tamen concreati. Reliquiæ verò  
 hodiè non concreati, sed connati  
 habitus sunt. Placet adjicere,

Quadr.  
Disc. Th.  
Disc. I. S. I.

quæ aliàs de immortalitate Adami  
tradit D. Andr. Keslerus. *Immorta-*  
*litatem dicunt Lutherani Theologi fuisse*  
*se Adamo naturalem, non hoc sensu,*  
*quasi ex essentia hominis & principiis e-*  
*jus constitutivis, ut visibilitas, capacitas*  
*disciplinæ &c. profluxerit, sed quod ex*  
*creatione homini in statu integritatis*  
*ordinariè ac naturaliter convenerit,*  
*ita, ut intimè & arctissimè humanam*  
*essentiam perficeret, essetq; intermisso*  
*peccato, in posteros naturali generatio-*  
*ne propaganda. Unde negant fuisse su-*  
*pernaturale externum donum peculia-*  
*ris gratia, ita ut ea remotâ nihilominus*  
*hominis naturalia manserint integra.*  
Discat hinc Obtrectator, dona illa  
fuisse interna, non externa; natu-  
ralia, non supernaturalia; ordi-  
naria non extraordinaria. Sed  
argutari pergit : *Quæ con-*  
*sequentia : visui primorum parentum*  
*nihil inerat primitus naturaliter sive*  
*per naturam. Ergò intellectui eo-*  
*rum nihil inerat supernaturaliter & per*  
*gratiam Cōditoris ? nulla, nulla con-*  
*sequentia. At monstrata est conse-*  
*quentia, & nullus qui negat, qui*  
*pertinaciter veritati repugnat. A*  
*sensu*

sensu ad intellectum procedis. No-  
 stro nihil inest sensui: ergò & ni-  
 hil intellectui. Repono: A sensu  
 ad intellectū nō valet. Etiam visus  
 primorū parentū nihil inerat, er-  
 gò nihil intellectui? Sed fuit in in-  
 tellectu sapientia: nihil fuit in vi-  
 su, in auditu. Dicit, supernatura-  
 lem fuisse illam sapientiam. Fal-  
 sum hoc est. Sapientia erat bo-  
 num concreatum, naturæ huma-  
 næ ex ordinatione creatoris con-  
 veniens: erat primo homini natu-  
 ralis, quia perficiebat humanam  
 naturam intimè, & naturali gene-  
 ratione in posteros naturaliter,  
 nō supernaturaliter propagāda e-  
 rat. Excipit: *Eo modo, quo naturale su-  
 pra expressū est, & exponi omninò debet,  
 non est naturalis sapientia.* Eo modo:  
 ergò nullo modo. Et debet: quia sic  
 volo, sic jubeo. Debet potius ita  
 exponi, ut naturalem perfectio-  
 nem notat. Inquit: *Physica  
 Physicè acceptanda & explicanda  
 sunt Physico. Nec dona spiritualia  
 & habitus supernaturales cum poten-  
 tiis naturalibus & habitibus per natu-*

B S

FAM

*ram acquisitis confundendi sunt.* Vir  
 bone, quis confundit cum habiti-  
 bus per naturam acquisitis dona  
 spiritualia? Nemo præter teipsū  
 §. 14. qui *habitu in communi, ratione &*  
*more comparari,* garris. Dona ve-  
 rò ista naturalia & ordinaria fuis-  
 se, non spiritualia & extraordina-  
 ria, è dictis constat. Non ergò ne-  
 get, non evertat ea Physicus, con-  
 tra Theologos, & contra ipsam  
 Scripturam Sacram. Loquamur de  
 homine, non ore Ethnicorum, sed  
 Christianorum. Perfectior no-  
 stra erit scientia, si adjeceris, quæ  
 sacra refert pagina. Plurimum ju-  
 vat inspectio Scripturæ ad locu-  
 pletiolem subjecti nostri cogniti-  
 onem. Si Pnevumatico, ut perfecti-  
 us intelligat subjectum suum, con-  
 cessa Scriptura S. est, te fatente;  
 non ea deneganda Physico. Si Me-  
 taphysici est, verbo divinitus pa-  
 tefacto, purgare & removeere quæ  
 in Aristotelis Philosophiam ex  
 Ethnicismo irrepsērunt, asserente  
 D. Jacobo Martini; Physico sanè  
 idem quàm maximè præstandum.  
 Cate-

Cæterùm , impertinenter fuisse  
 datam illam Instantiam , scribit.  
 Sed dedi rationem , quam nunc  
 præterit. Verba mea hæc sunt :  
*Etiam visui primorum parentum nihil  
 inerat primito: ergò & nihil intellectui?  
 Ergò non habuere sapientiam concrea-  
 tam ? Videat disparitatem. Eò lu-  
 bentiùs autem hac utimur instantiâ ,  
 quia hæ ipse notitiæ innata reliquæ i-  
 maginis divinæ sunt. Consistebat ea  
 in sapientiâ intellectus , justitiâ volun-  
 tatis, obedientiâ appetitus, & perfecti-  
 one ac rectitudine virium cæterarum.  
 Illi ergò illa ipsa imago concreata homi-  
 ni primo erat : sic & hæ reliquæ nascun-  
 tur nobiscum. Non obstante, quod nec  
 illi, nec nobis, à primo ortu impressæ  
 sint species sensiles. Resorbeat oculos  
 suas : impertinentius instantiam alla-  
 tam esse, Capiat autem è D. Balth. Sect. 4.  
 Meisnero sequentia: *Notitia natu- p. 1131.*  
*ralis, quæ datur in hominibus post lap-  
 sum, nihil est aliud, quàm residua ima-  
 ginis divinæ portiuncula, omnibus uno  
 ore fatentibus Theologis Orthodoxis.*  
 Sic confirmata ratio facti est. Prin-  
 cipia nobiscum nata reliquæ sunt  
 sapi-*

sapientiaē concreataē. Sicut ergo  
 sapientia fuit in Adami intellectu,  
 non obstante quod nihil extitit in  
 visu: ita principia illa nascuntur  
 nobiscum, quanquam nihil in se-  
 su sit. Sicut ad Adami perfecti-  
 onem spectabat sapientia illa: ita  
 principia hæc ad nostram perfecti-  
 onem pertinent. Non satis est, sub-  
 stantiam animæ nosse; sed & quæ  
 insunt isti, quæ ad naturalem ejus  
 perfectionem faciunt, considerā-  
 da sunt. De primo argumento  
 postquam hæc dicta sunt, restat ut  
 ad secundum regrediamur. Dicit,  
*respondere Virum quendam Clarissi-  
 mum, primò per instantiam, quia nec  
 oculus ab omni colore est vacuus, nec  
 ab omni qualitate tactili expers est or-  
 ganum tactus; deinde nudatum esse  
 debere intellectum in specie, & in eodē  
 gradu. Poteramus superfedere his,  
 eum nostra non sint. Ipsum argu-  
 mentum solutu facilimum est.  
 Si intellectus in se actu aliquid haberet,  
 non posset speciem in se recipere.*  
 Nulla

S. 46.

Nulla consequentia est. Viri docti intellectus habet aliquid in se actu, & recipere potest plures species, plures habitus. Adami intellectus habebat actu in se sapientiam, & augere poterat possessionē. Posterī si non peccassēt, habuissent sapientiā actu, & ampliassent hæreditatem. Sed ad Clarissimi istius Viri, Dn. D. Dannhaueri, responsa quid habeat, videndum. *Supponere ait, responsionem primam ac si illud Aristotelicum velit tantum intelligi de esse reali, hoc sensu, quod intus existens prohibeat alienum tantum reale, non verò intentionale, quod falsum est contra Aristotelem. Verum rem suam probat D. Dannhaverus, his verbis: Frequens est axioma in doctrinā de animā, quod intus existens prohibeat extraneum, παρεμφαινομενον γδ πολυει το ἀλλότριον l. 2 de an. c. 4. t. 4. quod tamen intelligi tantum debet de extraneo reali: nam extraneum intentionale non prohibetur ab intus existente reali sensili, e.g. in pupilla oculi dantur colores quos contuemur in speculo, & tamen hoc non obstante colores similes colori pupilla*

Col. Pf.  
Disp. 2.  
p. 69.

*pille visu notari possunt. 2. Sensile com-  
 mune habens tantam quantitatem,  
 tantamque figuram, potest recipi in o-  
 culo equalis quantitatis & figura. 3.  
 quando intellectus seipsum intelligit,  
 tunc intus existens non prohibet alie-  
 num. 4. manus una tangens aliam a-  
 que mollem sentit molliem, ubi rursus  
 intus existens non prohibet forinsecum.  
 Licet enim aliquod organum sit infor-  
 matum qualitate aliqua secundum esse  
 reale, adhuc tamen ab ipsa est denuda-  
 tum secundum esse intentionale, cujus  
 respectu adhuc habet ulteriorem capa-  
 citatem. Manet haec ratio. Si  
 oculus non vacat colore, & tamen o-  
 mnes colores recipit, falsum est  
 quod intus existens reale prohibeat  
 alienum intentionale. Si non ab o-  
 mni qualitate tactili expers est orga-  
 num tactus, & tamen recipit omnes  
 qualitates tactiles, falsum est, intus  
 existens prohibere species. Et qui  
 excludi possent species, quae sine con-  
 fusione, sine obliteratione jungi  
 queunt optime? In uno aeris puncto  
 infinitae coloris, infinitae luminis,  
 infi-*



infinitæ soni dantur species. Materiales qualitates sese excludunt: ac nō immateriales. Hæ recipi possunt, sine illarum detrimento. Deinde dicit, falsum & contra communem Medicorum atque Philosophorum consensum esse, ne quidem oculum ab omni colore vacuum esse. Dicit hoc, non probat. Tantū addit: *Vid. Andr. Laur. lib. 4. Anat. c. 16.* Proprii nihil habet, emendicare aliquid vult è Laurentio. Vidi autem Laurentium, vidi librum, vidi caput. Nihil quicquam ibi de præsentī materia. Totum caput ortum nervorum, & in specie primi paris, explicat. Præ Laurentio videndus oculus ipse est, adæquatum visus organum. Coloratum esse oculum, testis oculus ipse est. Alii nigri sunt, alii glauci, alii cærules. Quin ipse Laurentius hoc confirmat, inquit. *Sunt in homine solo variegati oculi & numerosissima varietatis, cæteris verò animantibus, excepto equo, in sua specie perpetuò similes; sic boum oranium nigri, ovium, aequi, aliorum rufi.* Verissima hæc sunt, de toto oculo si ferme sit. Partes vero a-

Lib. 1.  
 Anat. c. 4.

ro alia atque alia sunt. Etiam colorata sunt, uvea, conjunctiva, adnata. CrySTALLINUS humor non quidem coloratus, sed tamen lucidus est. Ut ne sic quidem intus existens prohibeat alienum intentionale. Lucidus enim oculus lucidissima cernit sidera. Tertio dicit, *tactum esse sensum, qui in mediocritate consistat, & in temperie primarum qualitatum; non verò eum receptivum hujus temperiei esse, sed recipere excessus qualitatum, ideoque ab his excessibus denudatum esse debere, & esse quoque.* Totus falsus est. Est temperies primarum qualitatum in organo tactus. Ergone non sentit temperiem primarum qualitatum? Tactus organum aliis cutis, aliis membrata est, Nobis cutis primarium, membrana adaequatum organum est. Nonne sentit cutis qualitates temperatas? Nonne sentit easdem membrata? Forsan manus moderatè calida tangere nequit manum æquè calidam. Scilicet excessus qualitatum tantum recipiendus est, non temperies. Mirissima hæc organi explicatio est,

qua

qua digitus digitum non tanget, nec  
 membrana membranam, nisi dato  
 in alterutro excessu? Excessus qua-  
 litatum lædit, mediocritas delectat.  
 Tangenda tantùm quæ lædunt: lin-  
 quenda quæ delectant. Potius arcen-  
 da, quæ lædunt; admittenda, quæ  
 delectant. Pro declaratione insinua-  
 ri ait à Mercenario elegantissimam  
 distinctionem, quod recipiens sit, vel  
 universale, vel particulare; illud ab  
 omnibus simpliciter denudatum esse de-  
 bere, hoc ab his quorum naturaliter re-  
 ceptivum est. Sensum tactus habere suū  
 determinatum objectum, nimirum ex-  
 cessus primarum qualitatum, ideo so-  
 lum ab his excessibus esse denudatum.  
 Redit ad suos excessus, qui nescit in  
 medio palmam positam. Distinctio  
 Mercenarii ponatur: sed applicatio  
 rectè instituenda. Tactus versatur  
 circa qualitates tactiles. Harum  
 species recipit, sicut sensilia omnia  
 spiritaliter agunt. Atque his specie-  
 bus organum denudatū est. Ut non  
 sit necesse, ad excessum recurrere, ex-  
 clusā temperie. Omnes sensus me-  
 diocritatem amant, cum sensile ex-  
 cellens lædat sensorium. Addit, in-

S. 49.

S. 48.

E

tel.

Intellectum debere esse denudatum à receptibili, ne idem sit actu & potentia simul. Sanè à receptibili. Principia autem nobiscum nata actu dicuntur dari, non potentia. Non ergo ad receptibilia referenda. E principiis quæ deducuntur, receptibilia sunt. His nudatus est Intellectus. Atque sic idem non simul, est actu & potentiâ. Actu sunt principia, non potentiâ: potentiâ sunt, non actu, è principiis quæ deduci possunt. Ad conclusionem regreditur, atque aliam comminiscitur probationem.

§.90.

Accersimus deinde, ait, pro conclusionis nostræ probatione aureolum illud è d. cap. 4. t. 14. ubi pulchrè traditur hoc modo; intellectus est quod ammodo intelligibilia ipsa, (intellige ante intellectionem, ubi potentia se habet; statim enim addit;) actu verò nihil est eorum, antequam intelligat ipsa. (ex prima enim sui origine & ex se nullius rei continet notionem aut speciem, res tamen omnes progressu temporis, accedente studio & doctrina, intelligere valet.) Oportet autem in ipso nihil esse, perinde ac in tabula nihil est actu scriptum antea

*reà, quam aëtu scribatur.* Absolutè  
 si sumantur hæc, falsa sunt: pessima  
 vero est commentatio. Ad primam  
 originem si recurritur, plenus fuit  
 intellectus sapientia. Non per te-  
 nues species scientia hominis pri-  
 mi acquirebatur. Præsentissima  
 erat statim & præstantissima, ea-  
 demque cum ipsa anima habe-  
 bat natalitia. Per lapsum tristissi-  
 mum nimium quidem decoxit de  
 nitore & sinceritate suâ sapientia.  
 Aliqua tamen mansere semina, ali-  
 qua principia, quæ nunc dicimus  
 nobiscum nata. Altioribus niteba-  
 tur radicibus imago Dei, quam ut  
 omnes fibræ potuerint evelli. Is ipse  
 qui gladio perit, Dei gerit imagi-  
 nem. Is cui maledicunt Calumni-  
 tores, ad imaginem Dei factus est.  
 Integra non est imago: sed non nul-  
 la proinde. Integra cum non est do-  
 mus: non est nulla. Non nulla na-  
 vis, quæ non integra: nullum cor-  
 pus, quod non integrum. Extant  
 quædam de tanto patrimonio reli-  
 quia, certissima principia & fontes  
 sapientiæ humanæ. Ita philosophæ-

S. 52.

mur ad Scripturam, non ad gentili-  
 tiam lucernam. Dat vero argumen-  
 tum: *Quicquid scibilia omnia fieri est*  
*possibile, necesse est, ut sit ab omni scibi-*  
*li denudatum. Nihil enim recipit in se*  
*id, quod actu in se continet. Atqui in-*  
*tellectus est possibilis omnia fieri sci-*  
*bilia. Ergo intellectus ab omnibus*  
*scibilibus denudatus sit oportet. Hinc*  
*porro: Quicquid ab omni scibili est*  
*denudatum, id nullas in se habet noti-*  
*tias connatas. Intellectus ab omni sci-*  
*bili est denudatus. Ergo intellectus nul-*  
*las in se habet notitias connatas. Di-*  
*cit, me respondere, Aristotelis do-*  
*ctrinam hic non esse tenendam. Ho-*  
*minem fuisse Aristotelem, fuisse E-*  
*thnicum, qui multis errandi occa-*  
*sionem præbuerit. Falso ore & ani-*  
*mo hæc dicit. Non dedi verba illa*  
*ad Syllogismum propositum, sed ad*  
*illam Majorem: Quam sententiam*  
*docuit Aristoteles, ea est tenenda. Ad*  
*hanc propositionem respondi, Ma-*  
*jorem nos nihil movere, hominem*  
*fuisse Aristotelem, Ethnicum fuisse,*  
*multis errandi occasionem præbuis-*  
*se. Per crines & colla nunc trahen-*  
*da hæc sunt ad Syllogismum præsen-*  
*tem.*

tem. Si tamen Syllogismus sola Aristotelis autoritate nititur, repetam responsum. Si in solo textu Aristotelis fundati sunt duo illi Syllogismi, dabo denuò responsum: *Homo fuit Aristoteles, Ethnicus fuit, multis errandi occasionem præbuit; major autoritas nature, major reverentia Scripture sit, quam Aristotelis.* Ait non teneri illam doctrinam in quantum Aristotelis sit, sed quatenus nature & rectæ rationi est consentanea, & hoc nomine doctissimorum quorumcunque calculo & approbatione hætenus gaudere. Sed data sunt verba ad argumentum, quod sola Aristotelis autoritate nititur. Supervacanea ergò sunt, quæ reposuit. Nature & rectæ rationi consentaneam esse principiorum connatorum everisionem, petitio principii est. Quæ dedit hætenus, falsissima fuere & ineptissima. De doctissimorum quorumque calculo quod garrit, impudentiam nostri animalculi magis magisque confirmat. Audiat D. Balthas. Meisnerum: *Accuratiores Theologi plerique notitias*

De An.  
p. 153.

*naturales connatas, non per δὲναμιν  
sed per ἐξω explicant &c. Petimus a-  
micè, in numerum doctorum reci-  
piat hos Theologos, pro eâ quâ fun-  
gitur impræsentiarū autoritate pu-  
blica. Chemnitium volumus, Bal-  
duinum, Hunnium, Rungium, Fin-  
ekium, Gerhardum, Schröderum,  
& infinitos alios. Ni grave, adjiciat  
Philippum Melanchthonē, qui  
quærit: *Estne verum dictum, notitias  
aliquas nobiscum nasci?* Respondet:  
*Simplicius & rectius est, retinere hanc  
sententiam, esse aliquas notitias in mē-  
te humana, quæ nobiscum natae sunt.*  
Et innumerabilem maximorum Vi-  
rorum seriem darem, si autoritati-  
bus pugnandum foret. Tām verus  
est noster Obtrectator, scribens do-  
ctissimorum quorumque calculo  
suam gaudere opinionem. *Se, nul-  
lam videre rationem pergit, ab Aristoteli  
doctrinā quæ abigat.* Videret, si  
vellet. Nolenti nil dari potest. Et  
vidit, atque vix tantulum adversus  
eas exudare valuit. Hinc dissimu-  
lat, atque præterit, & ad infimum  
locum propellit, quæ primas merue-  
re*



re sedes. *Quæ ratio dicit; Homo fuit,*  
*ergò ejus doctrina non tenenda: Ethni-*  
*cus fuit, ergò doctrina ejus non tenenda.*  
*Homo est author Anthropologia, ergò*  
*ejus doctrina non est tenenda. Pueri*  
*puerilia cantant. Non est, cur hie*  
*stemus, & nimium inepto aures de-*  
*mus vacivas. Responſionem ad ob-*  
*jectionem pro ratione contra theſia*  
*venditat. Non videndum, ait, quis di-*  
*cat, an Ethnicus, an Christianus, sed*  
*quid dicat. In ſeipſum deſcendat, &*  
*videat quid dicatur, non à quo dica-*  
*tur. Mittat nugas quas imbibit, ſo-*  
*lâ Aristotelis autoritate deceptus.*  
*Sed ſero ſapiunt Phryges, & diffici-*  
*lius eſt, de diſcere quam diſcere. Quo*  
*ſemel eſt imbuta recens ſervabit o-*  
*dorem teſta diu. Quid verò tan-*  
*dem duobus iſtis dandum Syllogiſ-*  
*mus? Verbulum unum: Externum,*  
*Denudatus eſt intellectus ab omni*  
*ſcibili Externo. Quicquid ſcibilia o-*  
*mnia fieri eſt poſſibile neceſſe eſt ut*  
*ſit ab omni ſcibili Externo quod*  
*fieri poteſt denudatum. Sic conce-*  
*ditur Syllogiſmus. Porro! quicquid*  
*ab omni ſcibili Externo eſt denuda-*  
 tum,

rum, id nullas in se habet notitias  
 connatas. Falsa est hæc Major. His  
 corruunt Syllogismi. Nunc è meis  
 eudere gestit argumenta artifex e-  
 gregius. Sumit verba: *Sine speciebus  
 illis nulla fit intellectio, sicut sine sensibi-  
 libus nulla sensio. Producuntur autem  
 à solo intellectu, quem hinc Agentem  
 vocari nil vetat. Non invenit eas in  
 natura aut animadvertit mens nostra,  
 sed fabricat.* Subjungit: *Hæc est ge-  
 nuina Aristotelis doctrina. Ad intelle-  
 ctionem, adeoque ad parandam rerum  
 notitiam requiritur ut intellectus eâ  
 parte quâ agens est species intelligibiles  
 efficiat; eâ verò quâ patiens est easdem  
 recipiat. Nec me, nec se intelligit.  
 Ad parandam rerum notitiam dicit.  
 Sane ad parandam. De paranda ve-  
 ro nõ jam sermo, sed de connatâ. Hæ  
 illæ larvæ, quas venditat. Arguman-  
 tatur: *Quicquid intellectus in naturâ  
 non invenit nec animadvertit sed fa-  
 bricat in semetipso, id intellectus ante-  
 quam fabricat sibi que imprimi non  
 habet, adeoque eo nudatus est & nuda  
 tabula instar se gerit. Sed intellectus  
 species intelligibiles in natura non in-  
 venit**

S.54.

venit nec animadvertit, sed eas sibi fabricat fabricatasque imprimis. Ergo intellectus species eas antequam fabricat in se non habet, adeoque illis nudatus est, & nuda tabula instar se gerit. Est responsum. De parandâ quis negat? De paranda autem notitiâ loquitur Minor, Pergit: quicquid debet ab intellectu cognoscere recipi, in eo non est ante receptionem, adeoque intellectus eo est nudatur, Sed species non a) ab intellectu cognoscere debent recipi. Ergo species non a) non sunt in intellectu ante receptionem, adeoque intellectus eis nudatus est. Est responsum. De paranda quis negat? De paranda autem notitiâ loquitur Minor. Alios aggreditur, eosque respondere ait, *textum Aristotelicum*, & argumentum inde confectum, non adversari iis, qui notitias insitas statuunt, cum Aristoteles non neget principia insita, aut notitias connatas, sed duntaxat aliarum rerum (vel potius conceptuum) inscriptionem & contemplationem actualem. Refert hæc D. Balch. Meisnerus, inquit: Nonnulli Aristotelem excusant, quod non negaverit principia insita, & habi-

tina-


S. 56.

S. 4.

P. 1132.

uales notitias, sed duntaxat actualium  
 aliarum rerum contemplationem & in-  
 scriptionem. Responder, Aristotelem  
 loqui universaliter, intellectum tantum  
 esse potentia, intellectu nihil intelli-  
 gibilem esse, in intellectu nihil esse,  
 nullum habitum in intellectu esse nul-  
 lius rei notitia intellectum imbutum  
 esse. In honorem Aristotelis quæ di-  
 cta sunt, rejicit. Igitur maneat, ma-  
 le putasse Aristotelem, intellectum  
 tantum esse potentia, intellectum  
 nihil intelligibilem esse, in intelle-  
 ctu nihil esse, nullius rei notitia in-  
 tellectum imbutum esse. Hinc rectè  
 B. Meisnerus scribit: *Potior est nobis  
 Scriptura & hypobeseon Theologi-  
 carum majestas, quam omnium Philo-  
 sophorum contradicentium auctoritas.*







152975

AB 152975

ULB Halle

3

003 015 114




86

R

VD77







B.I.G.

Farbkarte #13



12

PUTATIO II.

De

# CIPPIIS NO. MUM NATIS.

Quam

PRÆSIDE

NE Sperlingen/

yf. Prof. Publ.

*defendet publicè*

HIN GERLACHIUS,  
OLONUS.

diem 29. Jan.

uditorio Majori.

(\*\*)

TEBERGÆ,

HANNIS HAKEN,

DC LIII.

